

simis delictoribus & in Dominum multum  
antè peccantibus, cum postea crediderint,  
remissa peccatorum datur, & à baptismo  
atque gratia nemo prohibetur: quanto ma-  
gis prohiberi non debet infans, qui recens  
natus nihil peccavit, nisi quòd secundum  
Adam carnaliter natus contagium mortis an-  
tiquæ prima nativitate contraxit? qui ad re-  
missam peccatorum accipiendam hoc ipso  
facilius accedit, quòd illi dimituntur, non  
propria, sed aliena peccata? Videte quem-  
admodum de hac re nihil dubitans, solvit  
illam unde dubitabatur. Hoc de fundamento  
Ecclesiæ sumpsit, ad confirmandum lapidem  
nutantem.

## CAP. XXI.

Veritatis  
hostes qua-  
tenus pa-  
tienter fe-  
rendi.

20. IMPETREMUS ergo, si possumus,  
à fratribus nostris, ne nos insuper appellent  
hæreticos, quod eos talia disputantes nos ap-  
pellare possimus forsitan, si velimus, nec ta-  
men appellamus. Sustineat eos mater piis vis-  
ceribus sanandos, portet docendos, ne plan-  
gat mortuos. Nimum est quòd progrediuntur;  
multum est, vix ferendum est, magnæ pa-  
tientia adhuc ferri. Non abutantur hac pa-  
tientia Ecclesiæ, corrigantur, bonum est. Ut  
amici exhortamur, non ut inimici litigamus.  
Detrahunt nobis, ferimus: canoni non detra-  
hant, veritati non detrahant; Ecclesiæ sanc-  
tæ pro remissione peccati originalis parvulo-  
rum quotidie laboranti non contradicant. Fun-  
data ista res est. Ferendus est disputator er-  
rans in aliis quæstionibus non diligenter di-  
gestis, nondum plena Ecclesiæ auctoritate fir-  
matis; ibi ferendus est error: non tantum  
progredi debet, ut etiam fundamentum ip-  
sum Ecclesiæ quaterere moliat. Non expedit,  
adhuc fortè nostra non est reprehendenda

pa-

patientia: sed debemus timere ne culpetur  
etiam negligentia. Sufficiat caritati vestra, ha-  
bete ad illos qui nostis illos, habete cum il-  
lis amicè, fraternè, placidè, amanter, dolen-  
ter: quidquid potest faciat pietas; quia post-  
ea diligenda non erit impietas. Conversi ad  
Dominum, &c.



## EPISTOLA XCVIII. \*

\* Aliàs  
XXIII.

Augustinus Bonifacio episcopo, respondens  
quò fiat, ut infantibus in baptismo pro-  
sit parentum fides, cum post baptismum  
non noceat illis parentum impietas: dein-  
de quomodo susceptores in baptismo res-  
pondeant, illos credere, cum parvuli re-  
vera non credant, & incertum sit an  
sint credituri.

qua autem  
98. erat,  
nunc 163.

BONIFACIO coëpiscopo, AUGUSTINUS b  
in Domino salutem.

I. QUÆRIS à me, utrum parentes  
baptizatis parvulis suis noceant, cum eos

FF 4

Scripta  
fortè circ.  
idem tem-  
pus.

a Aliquot MSS. postea diligentia. Et quidam, post eam  
diligentiam.

b Bonifacium hunc, præditum ea religione, ut sole-  
ret vehementer cavere mendacium, uti dicitur infra n. 7.  
haud immeritò credideris esse illum ipsum cataquensem  
episcopum, qui ægros à prædecessore suo cum aliqua fisci  
fraude comparatos Ecclesiæ, suscipere præ conscientia  
sinceritate verebatur. Bonifacii sancti fratris & coëpis-  
copi sui meminit Augustinus in epist. 143. & 149. Inter-  
fuit carthaginensi collat. Bonifacius cataquensis.

De con-  
secr. dist  
4. Quæris.

dæmoniorum sacrificiis sanare conantur. Et si non nocent, quomodo eis prosit, cum baptizantur, parentum fides, quorum eis non potest obesse perfidia. Ubi respondeo, tantam illius sacramenti, hoc est, baptismi salutaris esse virtutem in sancta compage corporis Christi, ut semel generatus per aliorum carnalem voluptatem, cum semel regeneratus fuerit per aliorum spiritalem voluntatem, deinceps non possit vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consentit. *Et anima enim patris mea est, inquit, & anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*: non autem peccat ipsa, cum parentes ei omnino nescienti, vel quilibet alius adhibet sacrilegia dæmoniorum. Sed ideo ex Adam traxit, quod sacramenti illius gratiâ solveretur, quia nondum erat anima separatim vivens, id est, altera anima, de qua diceretur: *Et anima patris mea est, & anima filii mea est*. Jam itaque cum homo in seipso est, ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo & in illo à quo traxit, quando quod traxit admissum est. Non autem trahit alter ab altero, quando suâ unoquoque propriâ vitâ vivente jam est unde dicatur: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*.

2. Ut autem possit regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide; sed ex offerentium vel ministrantium fide; sed

*Joan. 3.5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sanc-*

Ezech. 18.

4.

1. q. 4.  
Jam itaque.

sâncto. Aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerant hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum. Regenerans ergo Spiritus in majoribus offerentibus, & parvulo oblato renatoque communis est: ideo per hanc societatem unius ejusdemque Spiritus prodest offerentium voluntas parvulo oblato. Quando autem in parvulum majores peccant, offerentes eum atque obligare conantes dæmonum sacrilegis vinculis, non est anima utrorumque communis, ut etiam culpam possint habere communem. Non enim sic communicatur culpa per alterius voluntatem, quemadmodum communicatur gratia per sancti Spiritus unitatem. Potest enim & in hoc & in illo homine esse unus Spiritus sanctus, etiamsi invicem nesciant, per quem sit utriusque gratia communis. Non autem potest spiritus hominis esse & hujus & illius, per quem peccante altero, & altero non peccante, sit tamen culpa communis. Ac per hoc potest parvulus semel ex parentum carne generatus Dei Spiritu regenerari, ut ex illis obligatio contracta solvatur. Non potest autem semel Dei Spiritu regeneratus ex parentum carne regenerari, ut obligatio, quæ soluta est, iterum contrahatur. Et ideo semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propriâ impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit. Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.

3. Verumtamen rectè dicuntur parentes, vel quicumque majores, filios seu quoslibet par-

De consecr. dist. 4. Quæris.

I. Thes. 5.  
19.

parvulos baptizatos dæmoniorum sacrilegiis obligare conantes, spiritualiter homicidæ. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt, sed quantum in ipsis est, interfectores fiunt, Rectè illis dicitur, quando ab hoc scelere prohibentur: Nolite occidere parvulos vestros. Dicit enim & Apostolus: *Spiritum nolite extinguere*: non quia ille extingui potest, sed quantum in ipsis est, extinctores ejus meritò dicuntur, qui sic agunt ut extinctum velint. Isto sensu rectè intelligi potest, quod scripsit beatissimus Cyprianus in epistola de *Lapsis*, cum eos qui tempore persecutionis idolis immolaverant arguens: “Ac ne quid deesset, *inquit*, ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus impositi vel adtrectati, amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consequuti.” Amiserunt, dixit, quantum adtinuit ad illorum scelus, à quibus amittere coacti sunt. Amiserunt in eorum mente ac voluntate, qui in illos tantum facinus commiserunt. Nam si in seipsis amissent, remansissent utique divinâ sententiâ sine ulla defensione damnandi. Quod si sanctus Cyprianus arbitraretur, non eorum defensionem continuò subjiceret, dicens: “Nonne illi, cum judicii dies venerit, dicent: Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini, ad profana contagia sponte properavimus: perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas: illi nobis Ecclesiam matrem, illi patrem Dominum negaverunt, ut dum parvi & improvidi, & tantî facinoris ignari per alios ad consortium criminis jungimur, aliena fraude caperemus?” Hanc defensionem non sub-

neceret, nisi justissimam crederet, & in Dei judicio parvulis profuturam. Si enim verè dicitur: Nos nihil fecimus, *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*; nec illi peribunt sub Dei justo judicio, quos parentes suo scelere, quantum ad seipsos adtinet, perdiderunt.

4. Illud verò quod in eadem commemoratur epistola, quamdam parvulam turbatis in fugam parentibus, nutrici derelictam, atque ab eadem nutrice dæmonum sacrilegiis impactam, postea in Ecclesia illatam sibi eucharistiam miris motibus respuisse; ideo mihi videtur divinitus factum, ne majores putarent nihil se in parvulos in illa iniquitate peccare, sed potius intelligerent, per illum significantem quodammodo gestum corporis eorum, qui loqui non poterant, se mirabiliter admoneri quid ipsi facere deberent, qui post tantum illud nefas a sacramentis salutaribus irruerant, unde se utique poenitendo abstinere deberent. Nec cum tale aliqua divina providentia per infantulos agit, ipsos id agere scientiâ vel ratione credendum est. Neque enim quia cujusdam Prophetæ dementiam Deus voluit etiam asina loquente coërcere, ideo admiranda est asinorum sapientia. Porò si per animal irrationale sonuit aliquid homini simillimum, quod miraculo divino, non cordi asinino tribuendum sit: ita potuit omnipotens per infantis animam, non ubi ratio nulla erat, sed ubi adhuc sopita erat, gestu corporis ejus ostendere, quid illi, qui & in se & in parvulos suos peccaverant, curare de-

Num. 22.  
28.

a Vaticani MSS. & è Gallicis quatuor habent, *gratia sacramenti salutaris irruerant*. Alii tres, *sacramento salutaris*.

deberent. Ceterum cum infans non redeat in parentem, ut cum illo & in illo unus homo sit, sed omnino alter sit, habens carnem suam & animam suam; *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.*

5. Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratiâ spiritali ad vitam regenerentur æternam; sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, <sup>a</sup> & verba sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest. Spiritus autem ille sanctus qui habitat in sanctis, ex quibus una illa columba deargentata caritatis igne conflatur, agit quod agit etiam per servitutem, aliquando non solum simpliciter ignorantium, verum etiam damnabiliter indignorum. Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam spiritalem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt) quàm ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod

of-  
<sup>a</sup> Bad. Am. Er. & Lov. nonnulla hic admisere verba ex n. 3. adscita, quæ sensum perturbant, & quæ prorsus absunt à MSS. tum Vaticanis sex, tum aliis septemdecim per nos inspectis. Nempe editiones illæ sic habuerunt: Celebrantur enim per eos necessaria ministeria. Filios autem seu quoslibet parvulos dæmoniorum sacrilegiis obligare conantes, spiritaliter sunt homicidæ. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt, sed quantum in ipsis est, interfectores fiunt. Et rectè illis dicitur, quando ab hoc scelere prohibentur: Nolite occidere parvulos vestros. Non autem rectè his dicitur: Nolite verba sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest, recitare. Spiritus autem &c.

offeruntur, & quorum sancta atque individua caritate ad communicationem sancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo mater Ecclesia, quæ in sanctis est, facit: quia tota omnes, tota singulos parit. Nam si christiani baptismi sacramentum, <sup>a</sup> quando unum atque idipsum est, etiam apud hæreticos valet & sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat; quæ consecratio reum quidem facit hæreticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum: quanto potius in catholica Ecclesia etiam per stipulæ ministerium frumenta purganda portantur, ut ad massæ societatem mediante area perducantur?

6. Illud autem nolo te fallat, ut existimes reatus vinculum ex Adam tractum, aliter non posse disrumpi, nisi parvuli ad percipiendam Christi gratiam à parentibus offerantur. Sic enim scribens dicit: *Ut sicut parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam, per fidem parentum identidem justificentur;* cum videas multos non offerri à parentibus, sed etiam à quibuslibet extraneis, sicut à dominis servuli aliquando offeruntur. Et nonnumquam mortuis parentibus suis, parvuli baptizantur ab eis oblatis, qui illis huiusmodi misericordiam præbere potuerunt. Aliquando etiam quos crudeliter exposuerunt <sup>b</sup> nutriendos à quibuslibet, nonnumquam à sacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptismum. Quæ certè prios

<sup>a</sup> Editi, quod unum. At MSS. omnes, quando unum.

<sup>b</sup> Sic Er. & Lov. At MSS. plerique, nec non editio Bad. habent, nutriendi.

Luca 10.  
37.

prios filios nec habuerunt ullos, nec habere disponunt: ac per hoc nihil aliud hic fieri vides, nisi quod in Evangelio scriptum est, cum Dominus interrogasset, quis illi à latronibus sauciato, & semivivo in via derelicto proximus fuisset: responsum est enim: *Quid in illum fecit misericordiam.*

7. Difficillimam sanè quæstionem tibi proposuisse visus es in extremo inquisitionis tuæ, ea videlicet intentione, qua soles vehementer cavere mendacium. *Si constituam, inquis, ante te parvulum, & interrogem, utrum cum creverit futurus sit castus, vel fur non sit futurus; sine dubio respondebis: Nescio. Et utrum in eadem parvula ætate constitutus, cogitet aliquid boni vel mali; dices: Nescio. Si itaque de moribus ejus futuris nihil audes certi promittere, & de ejus præsentis cogitatione; quid est illud quod quando ad baptismum offeruntur, pro eis parentes tamquam fidedictores respondent, & dicunt illos facere, quod illa ætas cogitare non potest; aut si potest, occultum est? Interrogamus enim eos à quibus offeruntur, & dicimus: Credit in Deum? De illa ætate, quæ utrum sit Deus, ignorat, respondent: Credit; & ad cetera sic respondetur singula, quæ quærentur. Unde miror parentes in istis rebus, tam fidenter pro parvulo respondere, ut dicant eum tanta bona facere, quæ ad horam qua baptizatur, baptizator interrogat; tamen eadem horâ si subjiciam: Erit castus qui baptizatur, aut non erit fur? nescio utrum audeat dicere aliquis: Aliquid horum erit, aut non erit; sicut mihi sine dubitatione respondet, quod credat in Deum, & quod*

*quod se convertat ad Deum.* Deinde scripta tua concludens, adjungis & dicitis: *Ad istas ergo quæstiones peto breviter respondere digneris, ita ut non mihi de consuetudine præscribas, sed rationem reddas.*

8. His litteris tuis lectis & relectis, & quantum temporis angustia sinebant consideratis, recordatus sum Nebridium amicum meum, qui cum esset rerum obscurarum ad doctrinam pietatis maximè pertinentium diligentissimus & acerrimus inquisitor, valde oderat de quæstione magna responsum brevem. Et quisquis hoc poposcisset, ægerimè ferebat, eumque, si ejus persona pateretur, vultu indignabundus & voce cohibebat, indignum deputans qui talia quæret, cum de re tanta, quam multa dici possent deberentque, nesciret. Sed ego tibi non similiter, ut solebat ille, succenseo. Es enim episcopus multis curis occupatus, ut ego. Unde nec tibi facilè vacat prolixum aliquid legere, nec mihi scribere. Nam ille tunc adolescens, qui talia breviter nolebat audire, & de multis in nostra sermocinatione quærebat, ab otioso quærebat otiosus. Tu verò cogitans nunc, quis & à quo ista flagites, breviter de re tanta respondere me jubes. Ecce facio quantum possum; Dominus adjavet, ut quod postulas possim.

9. Nempe sæpe ita loquimur, ut Pascha propinquante dicamus, crastinam vel perendinam Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die dominico dicimus: Hodie Dominus resurrexit; cum ex quo resurrexit tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita lo-

Ivo p. 2. c.  
4. De consecr. dist.  
4. Quæris.

quentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse dies qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus: & dicatur illo die fieri, propter sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim factum est? Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in sacramento non solum per omnes Paschæ sollemnitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari? Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est; ita sacramentum fidei fides est. Nihil est autem aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc cum respondetur parvulum credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum, quia & ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti. Sicut de ipso baptismo Apostolus: *Consepulti*, inquit, *sumus Christo per baptismum in mortem*. Non ait, sepulturam significavimus; sed prorsus ait: *Consepulti sumus*. Sacramentum ergo tantæ rei non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit.

10. Itaque parvulum, etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem

*Beda vulgatus, Rom. 6.*

*4. Sent. dist. 6. Si vero, 4. Sent. dist. 4. Nectam.*

*De consecr. dist. 4. nihil est.*

*Rom. 6. 4.*

facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo; Cum autem homo sapere ceperit, non illud sacramentum repetet, sed intelliget, ejusque veritati consona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, valebit sacramentum ad ejus tutelam adversus contrarias potestates: & tantum valebit, ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum sacramentum commendante Ecclesiæ caritate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, christiano adjutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profectò infidelis est, etsi habeat fidei sacramentum: longèque melior est illo parvulus, qui etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit, unde sacramentum ejus salubriter percipit. Respondi, sicut existimo, quæstionibus tuis, quantum adinet ad minus capaces & ad contentiosos, non satis; quantum autem ad pacatos & intelligentes, plus fortè quàm sat est. Nec tibi ad excusationem meam objeci firmissimam consuetudinem, sed saluberrimæ consuetudinis reddidi quam potui rationem.

*a MSS. propè omnes habent, antea majoris usum atatis.*

\*\*\*\*\*

## \* SERMO CCXXVII.

IN DIE PASCHÆ IV.

*Ad infantes de Sacramentis.*

Memor sum promissionis meæ. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem quo exponerem mensæ Dominicæ Sacramentum, quod modo etiam videtis, & cuius nocte præterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, imò quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus & sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si bene accepistis, a vos estis quod accepistis. Apostolus enim dicit: *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* Sic exposuit Sacramentum mensæ Dominicæ: *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* Commendatur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debeatis. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam con-

a Lov. in remissionem peccatorum, si bene accipitis: omisso, vos estis quod accepistis, quod nos ex MSS. restituumus.

conjuncta sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante a jejunii humiliatione & exorcismi sacramento quasi molebamini. Accessit Baptismum & aqua; quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est chrisma. Oleum etenim ignis b nostri, b Spiritus sancti est sacramentum. In Actibus Apostolorum advertite, quando legitur. Modo \* incipit liber ipse legi. Hodie coepit liber, qui vocatur Actuum Apostolorum. Qui vult proficere, habet unde. Quando convenitis ad Ecclesiam, tollite fabulas vanas: intenti estote ad Scripturas. Codices vestri nos sumus. Adtendite ergo & videte, quia venturus est Pentecoste Spiritus sanctus. Et sic veniet; in linguis igneis se ostendit. Inspirat enim caritatem, qua ardeamus in Deum, & contemnamus mundum, & scœnum nostrum exuratur, & cor quasi aurum purgetur. Accedit ergo Spiritus sanctus, postquam ignis: & efficiamini panis, quod est corpus Christi. Et ideo unitas c quodammodo significatur. Tenetis sacramenta ordine suo. Primò post orationem admonemini sursum habere cor. Hoc decet membra Christi. Si enim membra Christi facti estis, caput vestrum ubi

a Lov. ante jejunii humiliationem exorcismi sacramento quasi molebamini. Floriacensis vetus codex, ante jejuniis, humiliatione, exorcismi quasi molebamini. Aliorum quorundam MSS. est lectio quam elegimus. Confer Fragmentum Serm. 229. & lib. de Fide & operibus c. 6.

b Floriacensis MS. loco nostri habet, nutritus, seu nutrit.

c Omnes MSS. quomodo.

\* Aliàs de Diversis 83.

a I. Cor. 10. 17.

\* V. Serm. aliàs 93. de Diversis.